

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6678

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Normandie (duc)

Bénéficiaire(s) : Angers, Le Ronceray (abbaye, abbé)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : ...1154, 7 novembre...

Lieu d'émission : Barfleur

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Notice des conditions dans lesquelles Henri, comte d'Anjou et duc de Normandie, se préparant à passer en Angleterre pour prendre la couronne, maintint l'abbaye du Roncerai dans la jouissance de ses droits sur le bois de Latai.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° LXXXI*, t. 1, p. 86-87

Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 86.

Texte établi d'après a

Quoniam homines et eorum memoriam more fluentis aque de die in diem preterire conspiciamus, res gestas ad memoriam diuturniorem scribere disposuimus. Modernorum igitur scientie et posteriorum noticie cognitum fieri volumus moniales Sancte Marie Caritatis clamorem fecisse Gaufrido comiti Andegavensium de Nivardo Rupis Fortis, qui injuriam eis inferebat de suo bosco de Lateio. Comes, audito clamore, terminum posuit apud Brachesac. Ad terminum prefixum convenerunt in curiam Th. abba[tissa] cum amicis et adjutoribus suis, et Nivardus similiter. In primis fecit questionem suam abbatissa et cartam suam indicavit, in qua continebatur unde et a quo et quomodo habebat et tenebat ecclesia Sancte Marie boscum illum. Postea comes accepit cartam illam de manu abbatisse et legit ; deinde comes quesivit a Nivardo a quo et per quem clamabat jus in bosco illo de Lateio. Respondit Nivardus comiti : « Domine, hoc quod juris habeo a vobis et per vos habeo ». Ad hec comes : « Ergo nichil juris est tibi in bosco illo, quia nullum jus habeo in bosco illo ». Postremo comes Nivardum considerans nullum jus habere in bosco illo, precepit abbatisse et monialibus habere boscum illum solidum et quietum, exceptis palis ad exclusas faciendas, et interdixit Nivardo ne de bosco illo presumeret, nisi solum ad turrem calefaciendam. Huic rei interfuerunt Gosfridus de Cleeriis, Goslenus de Turon., Pipinus de Turono (sic), Garinus de Belemo, Choan de Brachesac, Frisonus de Brachesac, Mauritius de Lorré, Hugo decanus, magister Ruvallonus, Paganus Singe, Petrus Eudelin, Turpinus, Garinus de Turono (sic), Bertelotus Biet Solem, Johannes Bachelotus et plures alii. In pace tenuerunt moniales Sancte Marie boscum de Lateio vivente comite. Post obitum comitis, Nivardus calumpniam

fecit super boscum de Lateio, et homines Sancte Marie cepit et captos in turre posuit ; moniales vero Sancte Marie, audita injuria Nivardi, conquestum suum Henrico, comiti Andegavis (sic) et duci Normannorum apud Barbiflodium retulerunt. Illic enim iter suum parabat ad transfretandum in Angliam ad suscipiendam coronam regni Anglorum, hereditatem suam. Comes vero, ut audivit conquestum monialium et injuriam Nivardi, mandavit [et] Gosleno dapifero suo commendavit ut, sicut pater ejus boscum de Lateio liberaverat, ita et ipse proborum hominum qui affuerunt testimonio eis liberaret. Goslenus vero dapifer, acceptis litteris comitis, posuit terminum Nivardo jurisfaciendi monialibus. Ad terminum convenerunt Nivardus et abbatissa Th., cum testimonio proborum hominum in superioribus prenominatorum. Hii testes adducti [juxta] preceptum comitis boscum de Lateio liberum et quietum monialibus attestati sunt : Gosfredus de Cleeriis, Goslenus de Turono (sic), Pipinus de Turono (sic), Garinus de Belesmo, Choan de Brachesac, Frisonus de Brachesac, Mauricius de Lorré, Hugo decanus, Magister Ruvellonus, Paganus Singe, Petrus Eudelin, Turpinus, Garinus de Turono, Bertelotus Bet Solem, Johannes Bachelotus, et plures alii.